

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Sacramentum a cum fontibus proximo et primis

Manipulus florum, Sacramentum a:

Ab ipsa Dei sapientia homine assumpto
a quo in libertatem uocati sumus, pauca sacramenta
saluberrima constituta sunt, quae societatem
Christiani populi, hoc est sub uno Deo libere
multitudinis continerent.

Sed

quidam ipsam religionem nostram quam
manifestissimis et paucissimis celebrationum
sacramentis Dei misericordia uoluit esse liberam,
seruilibus premunt oneribus.

Augustinus in libro de uera religione.

Fons proximus:

Praeterea, Augustinus dicit,
in libro *de Vera Relig.*, quod
ab ipsa Dei sapientia, homine assumpto,
a quo in libertatem uocati sumus, pauca sacramenta
saluberrima constituta sunt, quae societatem
Christiani populi, hoc est sub uno Deo liberae
multitudinis, continerent.

Sed

non minus videtur libertas populi Christiani impediri
per multitudinem observantiarum quam per
multitudinem sacramentorum: dicit enim Augustinus,
in libro *ad Inquisitiones Ianuarii*, quod
quidam ipsam religionem nostram, quam
manifestissimis et paucissimis celebrationum
sacramentis Dei misericordia uoluit esse liberam,
seruilibus premunt oneribus.

Thomas de Aquino, *Summa theologiae, Secunda*
secundae, 147.3.3 (P. Caramello ed., pp.635-6).

Fontes primi:

Quae ubi uenit,
ab ipsa dei sapientia homine assumpto,
a quo in libertatem uocati sumus, pauca sacramenta
saluberrima constituta sunt, quae societatem
Christiani populi, hoc est sub uno deo liberae
multitudinis, continerent.

Augustinus Hipponensis, *De uera religione*, 17 (CCSL
32, K.D. Daur ed., pp.207-8, ll.14-18).

quamuis enim neque hoc inueniri possit, quo modo
contra fidem sint,
ipsam tamen religionem, quam
paucissimis et manifestissimis celebrationum
sacramentis misericordia dei esse liberam uoluit,
seruilibus oneribus premunt,
ut tolerabilior sit condicio Iudaeorum, qui, etiam si
tempus libertatis non cognouerunt, legalibus tamen
sarcinis, non humanis praesumptionibus subiciuntur.

Augustinus Hipponensis, *Epistulae*, 55.19 (CSEL
34.2, A. Goldbacher ed., p.210, ll.8-14).